

Utrum immutabilitas divine prescientie excludat libertatem contingentie, et videtur quod sic, quia ad illam seuitur omnia evenire de necessitate, quod probatur sic, quia maiori existente de necessario et minori de in esse, sequitur conclusio de necessario ut habere 1 Priorum, capitulo 8. Sed Magister ista est de necessario, scilicet omne scitum a deo necessario est verum, et ista mi est de inesse omne futurum est scitum a Deo, igitur. Sequitur conclusio de necessario, scilicet quod omne futurum est de necessitate verum, et si sic non poterit non esse futurum, et sic de necessitate quodlibet futurum eveniet. Ad oppositum, quia immutabilitas divine prescientie non excludit meritum et demeritum rationalis creature, igitur. Patet consequentia, quia ad merendum er demerendum requiritur libertas contingentie. Patet antecedens, quia sic de facto est, igitur.

Respondeo ponendo tres conclusiones.

Prima est quod voluntas prime intelligentie a nobis non excludit libertatem contingentie. Probatur tripliciter.

Primo sic: vo-[85ra] luntas nostra aliquem actum elicit libertate contingentie, igitur. Antecedens patet, quia multa facimus vel volumus que possumus non velle, immo que tenemur non vel se. Sed patet consequentia, quia voluntas prime intelligentie aut talem actum quem voluntas elicit libere vult ipsam sic elicere, aut vult ipsam non sic elicere et quodcumque detur cum tali velle prime intelligentie manet in tali actu liberta contingentie. Sed ad istud dicere quod voluntas talem actum liberum elicit enim deo volente nec nolente, sed non volente, sicut dicit Magister libro 1, divisione 44, quod peccata fiunt non deo volente nec nolente, sed non volente. Sed istud non solvit, quia licet ita sit de deformitate quae est in actu, quod non fiat deo volente nec nolente, non tamen sic potest dici de tali actu in quantum actus est, et in quantum est libere elicited et deo volitus, quia Deus est eius causa ut sicut Magister, libro 1, distinctione 35. Certum est autem quod si a deo creatus est quod etiam a deo volitus est cum nihil causet nisi volendo. Item quia eodem modo possum arguere de actu bono de quo cessat predicta instantia.

Secundo sic: voluntas nostra de actibus suis apud deum iudicatur merito non obstante voluntate dei, igitur. Patet consequentia, quia si divina voluntas auferret eius libertatem non merito iudicaretur apud deum, teste Magistri, liber 2, distinctione 25, ideoque voluntas nostra apud deum merito iudicatur, quia semper libera est, et nunquam cogi potest. Antecedens patet ex fide, sed dices argumentum non probat de libertate contingentie, sed de libertate coactionis, non enim sequitur a non potest cogi, igitur habet libertatem contingentie, quia Deus non potest cogi ad productionem Spiritus Sanctus non tamen ad hoc habet libertatem contingentie. Dico quod licet conclusio non sequatur gratia forme, tamen bene sequitur gratia materie, quia in statu vie de quo intelligit conclusi puri viatoris voluntas non est obstinata ad malum nec confirmata in bonum communi lege. Et confirmatur, quia si non maneret in nostra voluntate libertas ad volendum vel respuendum ad hoc posita primi voluntate non videretur ratio quare actus suus sibi magis imputaretur quam animali bruto.

Tertio sic: preceptum prime intelligentie non aifert a nobis voluntatem contingentie, igitur nec eius voluntas. Patet consequentia, quia preceptum prime intelligentie includit eius [85rb] voluntatem. Et antecedens patet, quia multa eius precepta obmittit nostra voluntas libera.

Contra conclusionem arguitur tripliciter.

Primo sic: si conclusio esset vera, sequeretur quod stante volitione prime intelligentia qua deus vult a non fieri a Petro staret in potestate Petri producere a, sed consequens est falsum, quia tunc deo invito Petrus oisset oriducere a. Sed patet consequentia postquam illa voluntas

non aufert libertatem contingentie. Et confirmatur, quia stante dicta volitione prime intelligentie, aut Petrus potest producere a, aut non, si non habetur propositum si sic faciat. Igitur Petrus quantum potest ad productionem a, aut producet a, aut non. Si non habetur propositum, si sic, igitur deo invito producet a quod est absurdum.

Secundo sic: si stante volitione aut nolitione prime intelligentie qua vult Petrum non producere a actum foret in libera potestate Petri producere a actum, igitur et Petrus posset producere b actum et sic deus non coageret cum eo ad productionem a actus. Consequens falsum, sequitur etiam quod Petrus posset producere a, etiam si Deus noverit ipsum producere a. Consequens falsum, quia impossibile est Petrum producere a, nisi deus noverit ac atiam finierit ipsum a producere.

Tertio sic: voluntas prime intelligentie est omnipotens et non impedibilis, igitur auferret a nobis involito libertatem contingentie. Antecedens est catholicum et patet consequentia, quia si alicuius hominis voluntas foret omnipotent et non impedibi is necesse effet fieri omnia que talis voluntas velet, cum igitur prime intelligentie voluntas non fit minus omnipotens nec non impedibilis quam esset voluntas predicta hominis creati. Sequitur quod non minus omnia que Deus vult fieri sit necesse fore quam omnia que velet talis voluntas creata.

Respondeo.

Ad primum, dico quod stante volitione prime intelligentie qua vult a non fieri a Petro quod Petrus potest facere a, quia licet stante tali volitione Petrus fit determinatus ad non faciendum a determinatione de in esse, tamen manet in determinatio de possibili. Vel dico quod illud consequens est verum in sensu diviso, quia ad huc Petrus potest facere a, quia cum voluntas prima contingenter velit Petrum non facere a potest nunquam non voluisse Petrum non fa- [85va] cere a. Sed in sensu composito est falsum, quia insimul ista not possunt esse vera Petrus facit a et voluntas primi non vult Petrum facit a, et sic no sequitur quod facit a deo invito. Ad confirmationem, dico similiter per sensum divisum et compositum.

Ad secundum, nego consequentiam si antecedens intelligatur in sensu diviso et consequens in sensu composito, et si utrumque intelligatur in sensu composito nego antecedens et consequens, et si utrumque intelligatur in sensu diviso concedo antecedentiam et consequens.

Ad tertium, nego consequentiam. Ad probationem, dico quod non est simile de voluntate increata et voluntate creata, et ratio est quia cum volitio creata mensuretur tempore, si aliqua volitio creata in hoc instanti sit semper post est necesse illam fuisse, et ideo si illa non potest impediri necesse est volitum ab ea esse vel fore nisi mutaretur. Sed non sic est de volitione divina, quia cum ipsa mensuretur tempore non transit in preteritum, et ideo non est sic nolitio quando possit esse quod ipsa non sit, nec unquam fuerit talis obiecti vel reo volito, et ideo cum tali volitione qua Deus vult rem fieri stat potentia creature ad oppositum, quia cum hoc stat Deum nunquam voluisse hanc rem fieri in sensu diviso.

Secunda conclusio est quod immutabilitas divine prescientie non excludit a nobis libertatem contingentie. Probatur tripliciter.

Primo sic: stat Deum aliquid prescire et illud aliter posse evenire, igitur conclusio vera. Patet consequentia, quia si illud quod est prescitur a deo sic evenire, et tamen stat illud aliter posse evenire, certum est quod illud sic contingenter eveniet. Sed si cum dei prescientia stat aliquid evenire contingenter, hoc maxime stabit respectu actus nostre voluntatis libere, quia saltim non videri hoc minus esse possibile de acti voluntatis nostre quam de actu alicuius

alterius rei. Sed antecedens ponit expresse Magister, libro 1, distinctione 38, dicens quod si dicas aliter non posse evenire quam evenit, quam deus prescivit, falsum est; hoc enim potest aliter evenire quam evenit, et tamen Deus hoc modo futurum prescivit.

Secundo sic: si immutabilitas divine prescientie a nobis excluderet libertatem contingentie, sequitur quod a nobis excluderet omnem conatum a bonum exequendum et malum vitandum omne consilium [84vb] et exhortationem que omnia sunt falsa, igitur.

Tertio sic: stat Deum prescire nunc me velle legere et contingenter me velle legere, igitur conclusio vera. Consequentia nota ex terminis, sed patet antecedens, quia si nunc volo legere de facto Deus prescire me velle legere, patet, quia dei prescientia se extendit ad futura omnia, et tamen contingenter volo legere, quia possum non velle legere, ut docet experientia, igitur. Ista est intentio Magistri, libro 1, distinctione 38, dicentis quod potest non fieri aliquid, et illud temen presciturum est fieri. Ista etiam conclusio est beati Augustini, 5 De civitate Dei, capitulo 14, contra Ciceronem dicentis: nos dicimus deum scire omnia atequam fiant, remanente tamen voluntate nostra libere semper facimus ea que facimus.

Contra conclusionem arguitur tripliciter.

Primo sic: et est argumentum primum factum contra secundam conclusionem, 39 quaestio. Quando aliqua consequentia est necessaria in cuius potestate non est antecedens nec consequens. Sed ista consequentia est necessaria Deus prescivit a fore. Igitur a erit, et illud antecedens, scilicet deus prescivit a fore, non est in potestate nostra nec illud consequens quod ponitur, scilicet a erit, quod ponitur futurum contingens. Maior patet, sed minor probatur. Primo quo ad primam partem, scilicet quod sit necessaria illa consequentia Deus prescivit a fore. Igitur a erit, quia oppositum consequentis repugnat antecedenti quo ad secundam partem, scilicet quod illud antecedens non sit in potestate nostra. Patet, quia nullum posterius potest impedire illud quod est prius, prescientia autem Dei est prior nobis. Igitur non possumus eam impedire, nec ipsa est in potestate nostra.

Secundo sic: si conclusio sit vera, sequeretur quod voluntas nostra posset facere nunc quod illud quod fuit verum per centum annos preteritos nunquam fuerit verum. Similiter quod illud quod fuit falsum nunquam fuerit falsum. Sed consequens est falsum, quia voluntas nostra non potest facere quod preteritum non fuerit preteritum. Sed probatur consequentia, quia si a actus voluntatis erit ante centum annos fuit verum, dicere quod a erit, ut patet ex prima conclusione, quaestione 41. Si igitur per te adhuc est in potestate voluntatis quod a non sit, potest facere quod semper fuit falsum dicere quod a erit, et sic si fuit falsum dicere a non erit, potest face quod semper hoc fuit verum dicere.

Tertio sic: si con-[86ra] clusio sit vera, sequeretur quod voluntas nostra posset face quod actus voluntatis prescitus a Deo esset futurus, quod nunquam a Deo fuisset prescitus neque previsus, igitur. Consequentia patet, quia aliter in sensu composito staret simul quod a non fieret et esset a deo prescitus, quod negat Magister, libro 1, distinctione 38, sed consequens est falsum, quod probatur sic, quia ista Deus prescivit a fore transivit in preteritum, et est veritas de preterito, tum quia si posset facere quod nunquam illa fuit vera, deus prescivit a fore, ex consequenti potest facere quod ista semper fuit vera Deus non prescivit a fore, sed hoc est falsum, quia nullus potest causare aliquam veritatem de preterito, quin causaverit illam in aliquo tempore, et sic quin aliquando fuerit verum dicere de presenti iste causat isti veritatem, sed creatura de presenti non potest causare istam veritatem: Deus non prescivit a fore, quia si est vera fuit vera ab eterno, igitur.

Respondeo.

Ad primum, sicut dictum fuit superius conclusione 2, questione 39, dico igitur quod possum facere quod Deus non prescivit „cras me sessurum”, et possum facere quod prescivit, et quando dicitur quod nullum posterius potest impedire illud quod est prius, dico quod hoc potest intelligi dupliciter. Vel sic quod destruat illud quod positum est in esse, et sic concedo. Vel sic quod faciat quod veritas alicuius propositionis non semper fuerit, et sic dico quod posterius potest impedire prius ut superius fuit dictum secundam conclusionem, questione 39.

Ad secundum, dico quod voluntas nostra potest facere quod illud quod fuit verum per centum annos, non fuerit verum in sensu diviso, sed in sensu composito. Dico etiam quod licet ista propositio vera a erit per centum annos ante et determinate vera, scilicet determinatione de inesse, non tamen determinate vera determinatione de possibili nec totaliter transivit in preteritum, ut supponit argumentum cum includat virtualiter unam propositionem de futuro, et ideo illa veritas nunquam totaliter transibit in preteritum donec futurum quod denotat vel continet virtualiter fuerit in esse positum.

Ad tertium conceditur consequens.

Ad primam probationem falsitatis consequentis, dico quod possum facere quod ista nunquam fuerit vera: Deus prescivit me lecturum. Et possum facere quod semper fuerit vera, quia eius veritas, ut dictum est, non transivit totaliter in preteritum cum pendeat ex una de futuri contigenti nondum posito in esse. Et cum dicitur quod nullus potest causare aliquam veritatem [86rb] de preterito quin causaret eam de presenti. Patet quod oppositum est verum, quia si sedeo, ista ab eterno fuisset prolata fuisset vera, ille sedebit, et si non sedeo, semper fuit falsa, nec veritas vel falsitas talis propositionis a me causatur, sed ab illo qui causat talem propositionem, cum veritas

Propositionis nihil fit nisi propositio vera, ut dicebatur questione 24, conclusione secundam et consimiliter falsitas idem est quod propositio falsa.

Tertia conclusio est de supposito quaestio, scilicet quod divinam prescientiam omnino esse immutabilem omnis fidelis habet credere. Probatur tripliciter.

Primo sic: prescientia dei est idem quod deus, igitur. Patet consequentia, quia ipse deus est omnino immutabilis, distinctione 8, 1, et patet antecedens in principio, distinctione 36, 1. Secundo sic: auctoritate Magistri, libro 1, distinctione 39, dicentis. Ad hoc dicimus quod Dei scientia omnino immutabilis est nec augeri nec minui potest, nam ut ait Augustinus, 15, De trinitate, „scientia dei est ipsa sapientia et sapientia est ipsa essentia vel substantia dei” et infra „eius itaque scientia inamissibilis est et invariabilis”.

Tertio, per glossam que habetur ultimo super illo verbo sicut unus dies apud ipsum sic mille anni, ait glossa, in cognitione divine veritatis et preterita et futura erunt presentia, ex quibus satis colligitur quod non variatur rerum successione.

Contra conclusionem arguitur tripliciter.

Primo sic: prescientia Dei potest incipere esse et desinere esse, igitur est mutabilis. Consequentia nota ex terminis, sed probatur antecedens, quia omne illud quod non est et potest esse, potest incipere esse, sed prescientia Dei est huius, igitur. Maior patet, quia sicut omne quod non est et erit incipiet esse: sic omne quod non est et potest esse, potest incipere esse. Sed minor patet, quia ponatur quod a sit aliquis actus liber: qui non erit de facto, sed potest esse tunc prescientia dei respectu a non erit, sed potest esse respectu a et eodem modo potest probari:

quod potest desinere esse, quia prescit aliquod quod potest, non prescire, quia illud potest non esse.

Secundo sic: prescientia Dei potest augeri et minui, igitur. Consequentia nota, sed patet antecedens, quia potest aliqua prescire: que non prescit, et aliqua non prescire que prescit, quia plura possunt ei esse subiecta et pauciora quam sint, ut ait Magister, distinctione 39, 1.

Tertio sic: creatura potest impedire Dei prescientiam, igitur. Patet consequentia, quia omne impedibile est mutabile, sed patet antecedens [86va] , quia posito quod deus sciat cras me peccaturum, istam prescientiam impedire cum possim non peccare.

Respondeo.

Ad primum, nego antecedens. Ad probationem, nego minorem, scilicet quod scientia dei possit incipere vel desinere esse. Ad probationem, quia non est prescientia respectu a et potest essem igitur potest incipere. Dico quod argumentum supponit unum falsum, scilicet quod ista possint insimul in sensu composito esse vera prescientia dei respectu a non est, et potest esse quod erit ita quod non fuit et postea erit, quod tamen non est verum, quia si faciam a ab eterno dei prescientia fuit respectu a, et si non faciam ab eterno non fuit. Et si dicas contra: quia iam de facto Deus presciat determinate a non esse futurum, dico quod verum est si a non sit futurum, et cum hoc stat quod potest esse futurum, et si dicas si potest esse futurum stante dei prescientia quod non sit futurum, ponatur igitur in esse et tunc sequitur quod a erit futurum, et deus presciat a non esse futurum, dico quod non sequitur quia tu arguis a sensu diviso ad sensum compositum. Et primum sensum, scilicet divisum, concedo, et secundum nego, sicut facit Magister, distinctione 38, 1.

Ad secundum, nego antecedens, ut facit Magister in principio istius distinctione, scilicet 39. Ad probationem concedo quod plura potest prescire quam prescit et plura possunt ei esse subiecta quam sint in sensu diviso non in sensu composito, ex quo non sequitur quod possit augeri vel minui.

Ad tertium, nego antecedens. Ad probationem, dico quod non sequitur quia impedire, destruere nutare et huiusmodi significant illa precessisse quae impedita sunt mutata, vel destructa modo impossibile est quod deus presciverit cras me peccaturum et postea non presciant vel nesciant, quia in tali locutione notatur sensus compositus, qui in ista materia non admittitur.

Ad argumentum in principio questionis, nego antecedens. Ad probationem, dico quod ad illum silogismum quod maior in sensu composito est vera, scilicet ista omne scitum ad eum, necessario est verum, quia tunc per illam significatur ista non est possibile quod aliquod sit adeo scitum et non sit verum, sed in sensu diviso est falsa, quia per illam significatur quod omne scitum adeo sic est verum quod non potest esse non verum, et hoc est falsum, et sic in illo sensu in quo maior est vera, sequitur conclusio est vera, et sic concedo conclusionem in sensu composito, sed nego in sensu diviso sicut et illam maiorem: circa distinctione 40, queritur.